

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Error b
cum fonte primo

Nimis peruerse se ipsum amat
qui et alios uult errare ut error suus lateat.
Quanto enim melius et utilius ubi ipse errauit,
alii non errant quorum ammonitu errore careat.

Vos autem qui me multum diligitis, si talem me asseritis

ut nunquam in scriptis meis errasse dicatis, frustra laboratis,
non bonam causam suscepistis, facile in ea me ipso iudice superamini,
quoniam non mihi placet cum a carissimis meis talis esse existimor,
qualis non sum.
Profecto enim non me sed pro me alium sub meo nomine diligunt,
si non quod sum sed quod non sum diligunt.

Augustinus in epistola ad Marcellinum.

nam nimis peruerse se ipsum amat,
qui et alios uult errare, ut error suus lateat.
quanto enim melius et utilius, ubi ipse errauit,
alii non errent, quorum admonitu errore careat!
quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat.
si enim mihi deus, quod uolo, praestiterit,
ut omnium librorum meorum quaecumque mihi rectissime displicent,
opere aliquo ad hoc ipsum instituto colligam atque demonstrem,
tunc uidebunt homines, quam non sim acceptor personae meae.
Vos autem, qui me multum diligitis, si talem adseritis
aduersus eos,
quorum malitia uel inperitia uel intellegentia reprehendor,
ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis,
non bonam causam suscepistis, facile in ea me ipso iudice superamini,
quoniam non mihi placet, cum a carissimis meis talis esse existimor,
qualis non sum.
profecto enim non me sed pro me alium sub meo nomine diligunt,
si non quod sum, sed quod non sum, diligunt.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 143.2-3 (CSEL 44, A. Goldbacher ed., pp.251-2, ll.19-23, 1-12).